

Continetur hoc Volumine
JURCANI LIDDELI SCOTI
Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus et Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq. Instrumentis.

In IV. Meteororum de Misi generatōe . . . Diss. I.

In IV. Meteororum de Concoctione . . . Diss. II.

Diss. Pathologicarum, I. de Morbis.

II de Caus Morbor in græ.

V.

VI.

IIIX.

Diss. posterior de Praesagijs

de Peste diss. prior.

De Natura et Facultatib. medicamentorum.

De Compositione et Preparatōe medicamentor.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione

De Febribus Natura diss. I.

De Febribus II.

De Febribus III.

Disputatio
**DE SOMNO NATURALI ET PRAETER
 NATURALI: SIVE AFFECTI-
 BVS FRIGIDIS CEREBRI RELIQVIS,**
 Sopore, Cataphora, Lethargo, Caro,
 Stupore, Catalepsi, Ca-
 tocho.

Quam
 Fauente Opt. Max.

Præside

**CLARISSIMO VIRO, DOMINO
 IOHANNE BOCKELIO, MEDICINÆ
 Doctore, eiusdemq; in incluta Iulia professore
 ordinario, publicè 15. Aprilis, hora locoq;
 solitis tueri conabitur**

DANIEL RINDTFLEISCH
 Vratisl.



HELMAESTADII
 Excudebat Iacobus Lucius. Anno 1590.

NOBILI ET CLARISSIMO
VIRO DN. PAVLO HOLTZ-
BECHERO I. V. DOCTORI, SYNDICO

inclutæ Reipub. Vratiflauiensis,
salutem dicit


IOANNES CASELIUS

Litteras tuas de negotio, quod tibi diligenter com-
mendaueram, bono modo expectabam. Quod nullas
dedisti, aliter à te fieri non potuisse censeo. Noui enim
occupationes tuas graues & perpetuas, hoc præsertim
tempore, quo nemo dum est, qui te subleuet. Itaq;
non erat, quod te purgares de silentio per alium. Mirum, quàm di-
ligenter hoc præstiterit gener tuus: qua re sese obseruantiorémne
tui an nostri amantiorém? ostendit. Non potuisti vero plenius re-
spondere, quàm re ipsa. Non solum enim retulisti fideliter ad sapi-
entissimum senatum vestræ ciuitatis, sed etiam impetrasti, quod ci-
uis vester Daniel Rintfleisch iuuenis prudentissimus, petere non
auderet, quando mihi credidisti, dignum summa vestra beneuolen-
tia & ista beneficii accessione. O sacram hanc, mihiq; perhonorifi-
cam, & supra modum suauem amicitiam, quæ cum longinquis etiam
amicis mihi est. Quam enim sterilem multi dicerent, ex ea capio v-
tilitatem maximam. Potest enim maiores fructus ferre, quàm qui
redundent in alios? Hoc igitur mihi gaudeo: tibi autem gratias
ago, qui meis litteris tantum tribueris, nec plus tamen, quam de-
buisse te existimem: nec id iam propter animorum nostrorum ab illa
Bononiensi ex communibus studijs nata notitia, coniunctionem,
sed propter ingenium & expectationem eius, quem tibi commenda-
ueram: nec minus etiam propter dignitatem vestræ reipublicæ, quæ
in hoc quoq; vertitur. Sed iam olim nihil potuit à patribus patriæ
fieri laudabilibus, nihil tam publicè & priuatim utilius, quàm quod
adolescentes bonæ indolis in studio doctrinæ & virtutis comiter con-
firmant, & perliberaliter adiuuant. Fit quidem idem & in alijs vr-
bibus, sed in plerisq; parcè admodum, nec semper bono iudicio.
Neutrum

Neutrum enim, ni fallor, beneficij naturam satis sapit, nec quod minus liberaliter datur, nec quod in eos confertur, quorum cum nulla exstent merita in patriam, vix sperari aliqua possunt. Fœcunda est ingenijs Vratislavia: quorum etiam delectum semper animadverti habitum: eaq; cum foueri tum ornari intelligo. Quæ ratio, in qua cū prudentia lucet bonitas, quantum conferat reip. alius erit explicandi locus. De ingenio autem & doctrina & modestia Danielis, non censeo opus esse vt denuo tecum agam. Liceat mihi ipsius animi dotium adducere testes locupletes omniq; exceptione maiores. Amabant enim eum à puero viri præstantissimi ciues vestri Andreas Dudithius orator Cæsareus, Ioannes Crato archiatros Cæsareus, & Albertus Vrsinius, collega olim tuus: nec eorum ille expectationem fefellit; quod quoniam ipsi modo exempti sunt rebus humanis, pro illis asseuerare non dubito. Amat eum mirificè gener tuus, amicus meus & litterarum, Iacobus Monauius, quem virum clarissimum ad te scribens, quasi in os laudare non debeo. Carus item fuit in Academia Megapolitana ad Varnum doctoribus cæteris, sed cum primis viro integerrimo Nathani Chytræo, cuius domi aliquot annos vixit, & mihi, cui post illum fuit familiarissimus. Nunc quoq; doctoribus in Academia Iulia non minus ipse & mihi & alijs doctoribus carus est: ac sibi potissimum tamen deuinxit ordinem medicorum diligentia & officio. Fecit etiam, quod eorum quisq; voluit, vt de rebus subtilibus publicè responderet: quod semper magna cum laude præstitit. Atq; heri vigil ipse de somno disputauit, & aduersantium ictus excepit, eorumq; argumenta facillè dissoluit. Nec somnum vero antè capiet, quàm propositam metam contigerit: nec consistet in eo spacio, neq; adeo eget calcaribus, vt plæriq; sed frenis, vt nobilis ille historiæ scriptor, & nobilissimus alter philosophus. Scis enim sic de Theopompo locutum Hocratem, Platonem de Aristotele. Perge vero amare eum, quem & quos dixi, & præterea alij præstantes viri singulari beneuolentia completantur: qui cum sit iuuenis ornamento patriæ, vsui erit etiam propediem: & deinceps similibus ingenijs concilia virorum sapientissimorum beneuolentiam. Vale. Helmæstadio ex Academia Iulia
V. Non. Maj. 1590.

THESES
De somno naturali, & præter
naturam.

I.

 Omnis naturalis est ligamentum sensus communis ex materia vaporosa medio-criter frigida & humida à calore blando excitata, ac in cerebro densata, obstruente præcipue vias Spiritus vitalis, hoc est, arterias soporales: leuius autem neruorum principia, vt animal quiete, & vita melius fruatur.

II.

Atq; hæc vna est somni naturalis species animanti ad vitam sustentandam omnino necessaria.

III.

Plures autem sunt præter naturam somni species vel differentia ex diuersis causis, materiali, efficiente & formali desumptæ.

IIII.

Huius præcipuæ species sunt, Sopor, Coma vel Cataphora, Lethargus, Carus, Stupor, Catalepsis, Catochos. de quibus ordine dicemus secundum diuersas earum causas.

V.

Sopor est somnus profundior, & longior ex multa materia humida, & leuiore calore præter naturam concitatus, ex quo si animal non facilè excitetur ferinus dicitur, qualis accidit pluribus ex longis vigilijs, labore confectis, ebrijs, iis nonnunquam qui febribus continuis ardentibus, & malignis infestantur, idq; eo præcipuè quod cerebrum Arteriarum so-

riæ soporales & neruorum principia humido multo, rariore
tamen, irrorentur, & rigentur immodicè, qui somn^o nõ pri-
us soluitur, nisi dissipato, & consumpto humido.

VI.

Coma, vel Cataphora ad somnum delatio affectus prio-
ri non adeò dissimilis, nisi quod hic longior, ille breuior sit,
atq; ex materia copiosiore, frigidiore & tenaciore oriatur
à calore remissiore igneo tamen, & præter naturam: So-
mnolentiam igitur notat diuturnam vel soporosam affectio-
nem.

VII.

Duplex autem est Coma, Somnolentum, & Coma vi-
gil vel ἀγρυπνία Hipp. dictum.

VIII.

Somnolentum vel pigrum in quo æger magis ad so-
mnum quam ad vigilias inclinatur. Hæc somnolentia oritur
ex materia multa frigidiore in cerebro nonnihil putrescen-
te, vnde cum febre semper coniuncta est, in qua & homo
sui quasi oblitus, sensu & motu priuatus alto sopore oppres-
sus stertit.

IX.

At Coma vel Cataphora vigil affectio somnolenta est,
in qua tamen æger magis ad vigilias quam ad somnum pro-
cliuis & dispositus est. ac videtur hic affectus lucta quædam
cum vigilijs, in qua si humidum vincat, lethargus; si calor,
Phrenesis oritur.

X.

Rectè igitur Hipp: dubitare videtur, an Comatosi Phre-
nitici sint vel dici possint.

XI.

Caros affectus quoq; est soporosus vel somnus profun-
dus, longus, & grauis, ex multa humiditate paulo calidio-
re ac

re ac sanguinea frequentius ortus, quem nonnunquam comitatur Apoplexia ex sanguine.

XII.

Hunc Carum diuidimus in morbosum & non morbosum, qui est sopor ortus ex largiore potu vini meracioris vel crapula, vel febre aliqua sanguinea, vel maligna, vel ex ictu & plaga musculi temporalis, in quo animal priuatur sensu & motu ad tempus, estque saepius morborum crisis, materia ad cerebrum rapta, ibiq; consumpta tandem & dissipata.

XIII.

Morbosus qui oritur ex abundantia humoris frigidioris grauiter afficientis cerebrum.

XIIII.

Est & hic duplex, bonus qui in morbo iuuat, & critice morbum soluit.

XV.

Malus qui Symptomaticus morbum non soluit, sed ad mortem potius aegrum ducit, vt in febribus malignis & peste huiusmodi sopore graui aegri opprimuntur, a calore igneo in humidum putrescens agente, excitato.

XVI.

Ac quidem hi affectus omnes ex copia materiae humidæ, & calore igneo vel intemperato vapores copiosos excitante, oriuntur.

XVII.

Etenim hæc materia si peccet & quantitate, & qualitate simul, hoc est, si multa adsit frigidis: obstructions facit grauiores ex quibus Apoplexia, & Paralyfis.

XVIII.

At si maligna pauca, ac virulenta fuerit, vel talis vapor, Epilepsiam concitat.

His af-

XIX.

His affectibus affines sunt stupor, Catochos & Cataleptis, in quibus materia non tam peccat quantitate, atque qualitate, quia in his maior est refrigeratio, quam humectatio.

XX.

Oriuntur vero ex causis externis vel internis.

XXI.

Ex causis externis, ex usu papaveris, mandragoræ, opij, hyoscyamj, & similibus, quæ sicca & frigida sunt.

XXII.

A causa interna humore videlicet pituitoso frigidis, quo spiritus immodice refrigerantur, & congelantur.

XXIII.

Catochos dicitur detentio, ex vehementiss. hæc accidit refrigeratione, qua animal frigore quasi rigidum omni motu priuatur, & fixis ac apertis oculis, eodemq; membrorum situ detinetur. Ac quidem hic maior facultatis motiue quam sensitivæ ob immodicam refrigerationem existit læsio, audiunt ac vident, sed toto corpore immobiles iacent ægri, cuiusmodi stupor accidit ijs qui largius opium sumplere.

XXIII.

In Catalepsi vero motiua facultas minus læditur, simul etiam affectis sensibus, nam & hi oculos claudere, & aperire possunt, quod non fit in Catocho, in quo maior refrigeratio minor humectatio, maior igitur sensuum ligatio in Catalepsi, in Catocho minor, in Catocho maior motiue, quam sensitivæ læsio.

XXV.

Hæc de causis, & signis, quibus hos affectus distinguimus: cura autem ex contemplatione causarum, vel maxime dependet, de qua in lib. practicis.

F I N I S.

99 A 6903

(No. 24
nicht)

(No. ~~ausgegeben~~)

(25 Handschrift)

(9)


ULB Halle 3
002 636 220



VD17

TA-OL





40.

utatio

INO NA

T PRAETER

VE AFFECTI-

EREBRI RELIQVIS,

a, Lethargo, Caro,

atalepsi, Ca-

cho.

iam

Opt. Max.

sidae

TIRO, DOMINO

ELIO, MEDICINÆ

incluta Iulia professore

. Aprilis, hora locoq;

ri conabitur

DTFLEISCH

tisl.

STADII

ucius. Anno 1590.

